

tamen, qui e Christianis plures salvari conjiciunt, siquidem parvuli una cum adultis numerentur: sed nec hoc definiri certo potest.

ARTICULUS III.

AN EX PARTE PRÆDESTINATI DETUR CAUSA PRÆDESTINATIONIS AD GLORIAM?

225. *Nota.* Prædestinatio ad gratiam an et quomodo sit gratuita, abunde constat ex Tract. de *Grat. et Merito*. Itaque hic duntaxat quæstio est: an prædestinatio ad gloriam fiat ex prævisis meritis? In hoc autem non agitur 1º. de gloria præcise, ut est hæreditas et competit parvulis, sed ut est corona et competit adultis, quibus æterna salus, non solum ut hæreditas, sed etiam ut præmium meritorum supernaturalium confertur: 2º. nec de prædestinatione in ordine executionis, sed intentionis spectata: neque 3º. de intentione gloriæ conditionata et inefficaci, cum hæc concedatur ab omnibus esse prior meritis et prorsus gratuita; sed de intentione absoluta et efficaci: nec 4º. de meritis tantum conditionate futuris, sed de prævisis meritis absolute futuris: nec quomodo possit a Deo prædestinatio fieri ad gloriam, sed quomodo fiat in præsentia providentia.

Porro in hac controversia, quæ inter Catholicos tantum agitur, triplex est sententia; 1ª. eorum qui prædestinationem hanc statuunt esse mere gratuitam, et antecedere prævisionem meritorum; 2ª. eorum qui æstimant absolutam prædestinationem ad gloriam fieri ex vel præsupposita meritorum gratiæ absolute futurorum prævisione: 3ª. media est eorum qui vel nullum agnoscunt ordinem prioritatis et posterioritatis, etiam secundum rationem, inter prædestinationem ad gloriam et gratiam, et ad utrumque hoc objectum simul fieri contendunt prædestinationem; vel distinguunt duplicem salvandorum ordinem, unum scilicet insigniorum, quorum prædestinatio præcedat meritorum prævisionem, alterum reliquorum electorum, quorum prædestinatio non fiat nisi ex prævisis meritis; vel volunt, prædestinationem quidem esse posteriorem alicui merito supernaturali, et sic non penitus gratuitam, non tamen esse posteriorem omnibus meritis, sed aliqua eorum maxime perseverantiam præcedere.

226. *Dico.* Datur ex parte nostri causa prædestinationis ad gloriam; seu in præsentia providentia efficax et absoluta ad gloriam ut coronam prædestinatio hominum, a Deo est post prævisa gratiæ merita absolute futura. *Ratio* est; quia hæc sententia videtur conformior Scripturis, SS. Patribus et Rationi.

Prob. ex Scriptura. I. Matth. 25. 34. Christus dicit se in die judicii electos sic allocuturum: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere etc.* Ex his sic arguitur: Regnum cælorum præparare propter opera misericordiæ, est decernere gloriam ex meritis, seu ad eam prædestinare post prævisa merita: sed verba laudata manifeste expriment, Deum præparasse gloriam hominibus propter eorum opera misericordiæ, ut ex particula causali *enim* liquet; ergo.

Respondent quidam his verbis significari duntaxat actualem executionem et causam, cur actu conferatur gloria, non autem cur his potius quam illis gloriæ sit parata; alii per præparationem volunt intelligi decretum execu-

tionis tantum seu voluntatem actualiter conferendi gloriam in tempore, non autem decretum intentionis, seu voluntatem efficacem ut quis simpliciter perveniat ad gloriam.

Sed *contra* 1º. est 1º. quod Christus *ibid.* v. 41. ad reprobos dicturus legatur: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus: esurivi enim, et non dedistis mihi manducare etc.*; ubi cum infernus reprobis non tantum tribuatur, sed et paratus sit, æque ac diabolo et angelis ejus, quos reprobi male agendo imitati sunt, non potest dici, illis tantum actu conferri ob demerita, et ex sola Dei voluntate præparatus esse infernus: unde paritas pro priori sententia pugnat. 2º. Quod S. CHRYS. hom. 80. n. 2. in Matth. textum sic exponat: *Possidete hæreditate quasi propria, quasi paterna, quasi vestra, quæ vobis a principio debebantur; nam antequam nati sitis, quia sciebam vos hujusmodi futuros, hæc a me præparata fuere;* et HIER. in Matth. loc. cit. hæc verba observet esse accipienda secundum præscientiam, adeoque iis rationem præparationis contineri, dicens: *Hoc juxta præscientiam Dei accipiendum, apud quem futura jam facta sunt.* 3º. Quod Christus in sua sententia judiciali referens merita et demerita velit afferre rationem æquitatis sententiæ pronuntiatae; si autem hæc referrentur ad solam collationem, non autem ad præparationem gloriæ vel pœnæ, ratio ista non sufficeret; unde cum Apostolus 2. ad Tim. 4. 8. dixit: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa justus Judex;* non tantum in collatione, sed et in destinatione justitiam expressit; cum coronam repositam hic idem sit ac præparatam, ut ex 1. ad Cor. 3. 9. constat.

Contra 2º. est 1º. quod illa distinctio inter decretum intentivum et executivum non habeat locum in prædestinatione siye ad gratiam siye ad pœnam, adeoque nec in prædeterminatione ad gloriam, cum S. AUG. de præd. Sanct. c. 10. n. 19. dicat: *Inter gratiam porro et prædestinationem hoc tantum interest quod prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia verò jam ipsa donatio;* neque destinatio ignis æterni, qui dicitur *paratus diabolo et angelis ejus*, possit accipi secundum diversitatem decretorum aut habere diversam causam pro hujusmodi decretis forsitan permissis. 2º. Quod gloria hic sumatur, prout adultis confertur ut *corona justitiæ*: sed sic nequit decerni ac intendi nisi suppositis meritis; cum natura mercedis et coronæ æque necessaria supponat merita, ac supplicium demerita, non tantum in ordine executionis, sed et in ordine intentionis. 3º. Quod ad ostendendam sententiæ æquitatem, et specialem electorum præ reprobis laudem ac gloriam declarandam, male supponatur absolute et efficaciter fuisse antecedenter intentam electis gloriam; cum principalis causa tum præparatæ tum collatæ gloriæ, et cui reliquæ prædestinationis causæ quodammodo famulantur, non staret in justitia Judicis et meritis Beatorum, sed in arbitraria tantum electione prædestinantis. Adde plures *parabolas*, operariorum in vinea Matth. 20., currentium in stadio 1. ad Cor. 9., servorum vigilantium Luc. 12., talenta impendentium Matth. 25., et virginum cum lampadibus accensis occurrentium *ibid.*; quibus declarabat Christus, quod sicut paterfamilias denarium, agonotheta bravium, dominus favorem et promotionem, et sponsus nuptias absolute et efficaciter non decreverint, antequam opus

diurnum, victoriam, vigiliis, fœnerationem et occursum perfecta viderint: sic de Deo similiter sit cogitandum, quantum attinet ad nostræ negotium salutis et gloriæ.

II. S. Paulus ad Rom. 8. 29. ait: *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* In hoc textu manifeste dicitur præscientia præcedere prædestinationem: sed hic sermo est de præscientia visionis seu meritorum absolute futurorum, et prædestinatione ad gloriã; ergo.

Min. ostenditur 1º. ex SS. Patribus. S. AMBR. L. 5. de Fid. c. 6. n. 83. ait: *Quos præscivit, hos et prædestinavit; quia non ante prædestinavit, quam præscivit: sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.* S. HIER. in eadem verba: *Quos, ait, præscivit conformes futuros in vita, voluit ut fierent conformes in gloria;* 2º. ex contextu et intentione Apostoli. Nam v. 17. ejusdem capituli incipit hortari fideles ad patientiam, a qua velut a conditione pendere ait nostram gloriã: *Si autem filii, et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; si tamen compatimur, ut et conglorificemur;* deinde a v. 18. usque ad v. 28. ostendit tribulationes leves esse, si comparentur cum gloria, cujus spe fideles debeant animari ad eas fortiter et constanter ferendas; maxime cum, ut v. 28. addit, tribulationes non noceant perseverantibus in dilectione, sed potius operentur in bonum ad gloriã consequendam: *Scimus autem, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti;* id est, secundum antecedentem eos salvandi voluntatem, transeuntem de conditionata in absolutam, posita prævisione de ipsarum perseverantia in dilectione Dei: tum exposita v. 29. prædestinationis serie, prout ab æterno fuit objective, et secundum quam Deus prius præscivit nos fore conformes, postea decrevit decreto absoluto; demum ordinem ejusdem in tempore describit v. 30.: *Quos autem prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Tandem ex his v. 31. et seqq. concludit, non esse timendas tribulationes, nihilque eos separare debere a charitate Dei. 3º. Agi hic de prædestinatione ad gloriã, ipsi Adversarii volunt.

III. Scriptura divinam gloriã dandæ volitionem proponit ut mere conditionatam, suspensam ac incertam ante meritorum prævisionem; ad Rom. 8. 17. *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi:.... si tamen compatimur ut et conglorificemur;* et 11. 22. *Vide ergo bonitatem et severitatem Dei; in eos quidem qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin et tu excideris: sed et illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur.* 2. Petr. 1. 10. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Sed si prævisionem meritorum præcederet prædestinatio ad gloriã, sive absoluta et efficax gloriã intentio ac præparatio, volitio dandæ gloriã non posset proponi ut mere conditionata, suspensa et incerta ante meritorum prævisionem; ergo.

Prob. ex PATRIBUS. I. ex GRÆCIS: S. IREN. L. 4. c. 76. (al. 39. n. 4.) ait: *Deus omnia præsciens utrisque aptas præparavit habitationes; eis quidem, qui inquirunt lumen incorruptibilitatis, et ad id recurrunt, donans hoc quod concupiscunt, lumen: aliis vero id contemnentibus et avertentibus se ab eo, et id fugientibus, et quasi semetipsos excæcantibus, congruentes lumini adversantibus præpara-*

bit tenebras, et his qui fugiunt ei esse subjecti, convenienter subdidit penam. ORIG. in c. 1. ad Rom. n. 3. *Evidenter ostendens quod eos, quos præscivit Deus tales futuros, ut Christo se in passionibus conformarent, ipsos etiam conformes ac similes imaginis ejus prædestinavit et gloriã.* Præcedit ergo præscientia Dei, per quam noscuntur qui in se labores ac virtutes habituri sint, et ita prædestinatio sequitur. S. CHRYS. hom. 2. in c. 1. ad Ephes. v. 11. et hom. 66. (al. 65. n. 3.) in Matth. ubi explicans verba Christi: *Sedere ad dextram vel sinistram etc.* ait: *Non est meum dare, sed quibus paratum est a Patre meo. Quibusnam paratum est? Iis qui ab operibus possunt conspici evadere.* S. EPIPH. L. adv. hæres. hæ. 69., CLEM. Alex. L. 6. Strom. (p. 347. C. et 348.) CYRIL. Alex. L. 3. in Ev. Joan. (opp. t. 4. p. 273. D.) et L. 26. Theodor. Saur., GREG. Naz. or. 37. n. 13., NYSSEN. L. de Infant. (opp. t. 3. p. 322. seqq.) THEODORET., THEOPHYL. et alii in c. 8. et 9. ad Rom.

II. ex Latinis: S. HILAR. in Ps. 64. n. 5. commentans ait: *Non res indiscreti judicii est electio, sed ex meriti delectu facta discretio est.* AMBROS. de Fide L. 5. c. 6. n. 83. *Ad Patrem referens addidit (Christus): quibus paratum est; ut ostenderet Patrem quoque non petitionibus deferre solere, sed meritis; quia Deus personarum acceptor non est. Unde et Apostolus ait: quos præscivit et prædestinavit.... quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.* S. HIER. in ep. 150. (al. 120.) ad Hedib. c. 10. scribit: *Vasa misericordie, quæ præparavit in gloriã, quæ vocavit, hoc est, nos non.... salvat irrationabiliter et absque judicii veritate, sed causis præcedentibus, quia alii non susceperunt Filium Dei, alii autem recipere sua sponte voluerunt.... ex quo ostenditur, non gentes eligi, sed hominum voluntates.* S. PROSP. in resp. 2. 3. 12. et 15. ad capit. Gallor. et L. 2. de voc. Gent. c. 34. et 36. S. FULG. L. 1. ad Monim. c. 24. *Prædestinavit illos ad supplicium, quos a se præscivit voluntatis malæ vitio discessuros; et prædestinavit ad regnum, quos præscivit ad se misericordiæ prævenientis auxilio redituros, et in se misericordiæ subsequenti auxilio esse mansuros; etc.*

Prob. ex RATIONE. I. Deus eo modo prædestinat ad gloriã ab æterno, quo modo eam confert in tempore, ut S. Th. Lect. 6. in c. 8. ep. ad Rom. docet: sed confert gloriã ob merita ut facta; ergo propter eadem ut prævisa prædestinat ad gloriã.

Maj. Prob. 1º. Ex comparatione tum prædestinationis ad penam, quæ, quia in tempore non infligitur nisi ob demerita, etiam non nisi ob eadem ab æterno decernitur; tum prædestinationis ad gratiam, quæ dicitur gratuita et antecedit prævisa merita, quia gratia in tempore sine merito datur. 2º. Ex ratione præmii et mercedis, cujus ratione gloria datur: ratio enim præmii et mercedis non potest supponere efficacem voluntatem, qua decernatur ante prævisum laborem, cum hoc sit discrimen inter mercedem et id quod tantum est finis, nec rationem præmii habet, quod hoc efficaciter possit decerni, antequam discernantur media: quod quidem discrimen maxime est admittendum, ubi merces datur secundum mensuram meritorum, uti de gloria ex ep. ad Rom. 2. 6. constat. 3º. Ex diversitate voluntatis divinæ, quæ sequeretur; vel quia prædestinationis voluntas esset contraria voluntati collationis, cum illa esset independens a meritis, hæc vero dependens: vel quia voluntas, ab æterno prædestinans, non esset eadem quæ est conferens

gloriam in tempore, cum hæc gloriam respiceret ut præmium, hæc vero ut finem tantum.

II. Sententia admittens prædestinationem ad gloriam ex meritis magis concordat cum reliquis dogmatibus. 1^{um}. Est de voluntate Dei salvandi omnes : hæc enim ex parte saltem conditionata est. 2^{um}. Est de promissionibus vitæ æternæ obtinendæ, et comminationibus ab ea excidendi : quæ rursus conditionate dependent ex observatione mandatorum. 3^{um}. Est de meritis Christi. Nam Deus non decrevit gloriam nisi propter merita Christi ut nobis efficaciter applicata, juxta illud ad Ephes. 1. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*; et Act. 4. 12. *Non est in alio aliquo salus, nec aliud sub cælo nomen in quo oporteat nos salvos fieri*: sed efficax applicatio meritorum Christi esse non potest sine propriis nostris meritis, quæ sunt eorum fructus, vel sine aliquo æquivalente in parvulis, nempe collatione baptismi; ergo. 4^{um}. Est de divisione voluntatis divinæ in antecedentem et consequentem. Electio enim efficax ad gloriam est actus divinæ voluntatis consequentis, ut admittitur ab Adversariis, et inde etiam patet quod, cum voluntas salvandi omnes sit antecedens, intelligi nequeat quomodo eadem voluntate antecedente aliqui tantum sint efficaciter electi ad salutem, et non alii: sed voluntas consequens non est absque præscientia meritorum, imo ex illa oritur; ergo. Accedit, quod hæc sententia sit suavitati, bonitati et æquitati divinæ convenientior; modo orandi, prædicandi et laborandi Ecclesiæ ac persuasioni fidelium conformior, ad spem salutis excitandam, ad curam bonorum operum et vigilantiam in salutis negotio promovendam, ad zelum animarum accendendum accommodatior.

III. Sententia statuens prædestinationem ad gloriam ante prævisionem meritorum multis subjacet incommodis. 1^{um}. Est, quod voluntas illa antecedens efficax sit inutilis; tum quia, si ponatur sola voluntas consequens efficax, hæc sufficit ad salvandos electos: tum quia voluntatem consequentem plurimi Auctores putant satis fuisse ad angelos prædestinandos ad gloriam: tum quia sola consequens voluntas respectu reprobationis admittitur: tum denique quia vi voluntatis antecedentis gloria non confertur, sed alia adhuc volitio addi debet, ut gloria tanquam merces conferatur. 2^{um}. Est, quia non ita facile, commode ac plane concordat cum reliquis dogmatibus nuper recensitis. 3^{um}. Est, quod careat prærogativis nostræ sententiæ nuper assertis, ac potius urgeatur difficultatibus oppositis.

Nam 1^o. Quamvis commendetur in hac sententia *bonitas et misericordia* erga prædestinatos, ea tamen deficit erga reliquos multo plures non prædestinatos, et nullus est *justitiæ* aut *æquitati* locus præsertim ob reprobationem negativam. 2^o. Asperius aliquid, nec cum Ecclesiæ sensu ac fidelium persuasione congruum, esse in hac sententia, constat ex pluribus cautelis, quas ipsi sententiæ patroni præscribunt observandas in publica ad populum expositione hujus doctrinæ. 3^o. Officere demum hanc sententiam sollicitudini bonorum operum ac animarum zelo, colligitur ex difficultate respondendi ad illud *dilemma*: vel sum inclusus eorum numero, quos Deus antecederet efficaciterque elegit ad gloriam, vel non sum? Si *primum*, salvabor infallibiliter: si *secundum*, infallibiliter damnabor: neque est cur sollicitus sim de bonis operibus; tum quia ante eorum prævisionem jam decreta mihi est glo-

ria: tum quia et perseverantia et ipsa bona opera ante omni meriti prævisionem prædefinita sunt; quæ cum frustrari nequeant, non opus est, ut me ipsum provocem, sed Deus efficaciter urgebit ad opera præstanda. V. PETAVIUM de Deo L. 9. c. 3. 16. L. 10. c. 2. et seqq.

227. *Obj. I.* Prædestinatio illa est antecedens et gratuita, ex qua profluunt omnia Dei beneficia et gratiæ dona, tanquam meriti omni principia in electos: sed talis est prædestinatio ad gloriam, juxta Scripturas; ergo. *Min. Prob.* ex variis testimoniis: Joan. 10. 26. *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me; et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Hic oves seu prædestinati ideo audire vocem pastoris dicuntur, quia sunt ex ovibus seu prædestinatis. Act. 13. 48. *Crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam*; ubi præordinatio assignatur ut causa fidei. Ad Ephes. 1. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti*; non ait: quia futuri eramus sancti. Ad Rom. 8. 28. *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti*; ibi causa cur operentur in bonum, datur voluntas efficax gloriæ.

Ad 1^{um}. *text.* R. Licet is cum S. Aug. Tr. 48. in Joan. n. 6. sumatur de prædestinatis absolute ad gloriam, tamen intelligi non debet de prædestinatione *absoluta antecedente*; tum quia accipi potest de consequente ad prævisionem meritorum, ita ut sensus sit: vos non creditis, quia non vultis mihi tanquam pastori subjici, et voluntarie obdurati ad vocem meam, ideoque ob malitiam perseverantem extra ovile meum positi, damnandi et reprobandi; alij autem, qui me tanquam pastorem cognoscunt, et vocem meam audiunt, oves meæ sunt; et his ob perseverantiam obedientiæ vitam æternam decerno, quam infallibiliter consequentur; tum quia priora verba non sunt reddenda causaliter, q. d. vos non creditis, quia non estis prædestinati, sed reprobi; cum hæc causa non sit propria nec adæquata. Non *propria*; siquidem Judæi non ideo erant infideles et peccabant, quia Deus eos reprobaverat: sed quia ipsi erant infideles et peccabant, a Deo sunt reprobati. Non *adæquata*: tum quia multi ex Judæis erant prædestinati, qui tamen non tunc, sed postea, prædicante Petro, in Christum credebant: tum quia nonnulli tunc credebant in Christum, qui non erant prædestinati, ut de *Juda* certum est.

Ad 2^{um}. *text.* R. Inde non probari prædestinationem ad gloriam esse ante merita et causam bonorum operum. Nam 1. per *vitam æternam* hic potest intelligi *Finis*, ut Joan. 37. 3. accipitur; et sic textus non est ad rem. 2. *Præordinationis* nomine non debet accipi electio Dei, sed significari potest aptitudo et dispositio hominum ad fidem per voluntatem bonam et pium salutis affectum ex gratia elicatum; pro qua explicatione facit tum vox *τεταγμένοι*, quæ non significat præordinatos, sed ordinatos, dispositos et incensum adscriptos: tum oppositio, quam hic versus indicat cum 46.; ubi mala dispositio Judæorum et resistentia pro causa affertur, cur, illis relictis, Apostoli converterent prædicationem ad gentes: ex quo objectio plane evanescit. 3. Admissa etiam acceptione de prædestinatione ad gloriam, sensus testimonii hic est: illi crediderunt in tempore, quos Deus ab æterno prævidens credituros præordinavit ad vitam æternam; hinc vero apparet opera

bona potius causam prædestinationis, quam prædestinationem causam operum esse.

Ad 3^{um}. text. R. Non agi hic de electione et prædestinatione ad gloriam seu sanctitatem alterius vitæ et consummatam, sed ad gratiam fidei et justitiam seu sanctitatem hujus vitæ et inchoatam : hinc subjungitur. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum.... in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum;* quæ omnia ad justificationem pertinent.

Ad 4^{um}. text. R. Nec ex eo prædestinationem gratuitam ad gloriam probari, ostenditur 1^o. quia Patres Græci, præsertim ORIG., CHRYS., THEODOR. et THEOPHYL. nomine *propositi* accipiunt voluntatem humanam, uti vox *προβουλή*; Act. 11. 23., ad Tim. 3. 18. et alibi usurpatur, ita ut sensus sit : omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum voluntatem suam, auxilio gratiæ prævenientis bonam a Deo prævisam, vocantur ab eodem. 2^o. quia, licet Patres Latini communius intelligant propositum seu decretum Dei, scopo tamen Apostoli conformius est, si accipiatur pro voluntate dandi gratiam, seu pro gratuita vocatione ad fidem et sanctitatem, unde hic sensus emergit : omnia in bonum cooperantur diligentibus, seu in dilectione manentibus ; iis scilicet, qui vocati sunt *sancti*, h. e., ad fidem et sanctitatem; *secundum propositum*, id est, vel secundum gratuitam voluntatem Dei primam gratiam et vocationem sine ullo hominum merito intendentis ; vel secundum desiderium salvandi omnes, ex quo factum est ut Deus vocaret, et vocationi consentientes justificaret, et justificatos ac perseverantes glorificaret. 3^o. quia admissa etiam propositi usurpatione pro voluntate divina efficaci dandi gloriam, ea tamen poterit esse consequens prævisionem operum, et hic sensus fieri : qui secundum propositum, ab æterno ob merita prævisa conceptum, in tempore exequendum, vocati sunt sancti.

Inst. 1. Ea rursus prædestinatio gratuita est, et merita antecedit, ex cujus efficaci intentione Deus ab electis mala et pericula propellit, eosque confirmat in bono : sed talis in Scriptura asseritur prædestinatio ad gloriam; ergo. *Min. prob.* ex Sap. 4. 11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* v. 14. *Placita enim erat Deo anima illius; propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* Matth. 24. 22. *Nisi abbreviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos abbreviabuntur dies illi.* Luc. 12. 32. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit (εὐδόκησεν, quod merum beneplacitum sonat) Patri vestro dare vobis regnum.*

Ad 1^{um}. et 2^{um}. text. R. Ex utroque apparere quidem, quod Deus ex amore erga justum eripiat eundem ex periculis et transferat ad sortem beatam; non tamen constat amorem hunc esse *mere gratuitum*, et ante meritum prævisionem conceptum, quin contrarium potius colligitur; tum quia v. 10. dicitur : *Placens Deo factus est dilectus, et translatus est, quasi diceret : cum placeret, seu quia Deo placuit justus, et v. 13. Consummatus in brevi explevit tempora multa;* quibus merita dilectionem præcessisse significantur : tum quia ex interpretatione Ambrosii ep. 38. n. 7. justus hic proponitur sub figura Henoch, qui propter merita ad feliciter statum raptus fuit.

Ad 3^{um}. text. R. Neque hunc arguere prædestinationem gratuitam ad glo-

riam; tum quia, si intelligatur in sensu litterali de *salute temporali* et vitæ conservatione Judæorum, in excidio Hierosolymitano propter electos præstanda, per calamitatis hujus contractionem, nihil certe pertinet ad gratuitam prædestinationem ad gloriam : tum quia, si intelligatur de *salute æterna* et perseverantia finali, non potest esse sermo de electis efficaciter et antecedenter ad omnem prævisionem futuri prædestinatis; cum alias falsa evaderet illa propositio, quod non fieret salva omnis caro, nisi dies illi fuissent brevissimi. Itaque sensus duntaxat iste restat : Deus in gratiam *fidelium*, qui more Scripturæ alibi sæpius usitato hic electi vocantur, dies illos, sive obsidionis Hierosolymitanæ sive persecutionis Antichristi, contraxit et abbreviavit, ne forte eorum fides et constantia in sanctitate deficeret in tanta calamitate; ex quo pro prædestinatione gratuita nihil argui potest, cum nulla sit inter hæc duo necessaria connexio.

Ad 4^{um}. text. R. Vel per *regnum* hic intelligitur aut fides, aut Evangelium, aut sanctitas, aut aliud ejusmodi, pro quo alibi in Scriptura hæc vox non raro usurpatur; et tunc ex isto loco nihil concluditur : vel nomine regni intelligitur gloria æterna : et vox *complacuit* significat quidem voluntatem puri beneplaciti dandi gloriam, non tamen absolutam et efficacem; sed conditionatam et inefficacem, et a purificanda meritorum conditione dependentem. Id colligitur 1^o. quia sive *pusilli gregis* nomine sumantur Apostoli, sive alii discipuli et auditores Christi, absoluta voluntas in Juda et aliis foret frustrata : 2^o. quia Christus pusillum hunc gregem continuo monet terrenorum contemptum, eleemosynam, patientiam, vigilantiam, aliaque perfectionis opera, quibus conditio illa, sub qua gloriam proposuerat, purificaretur : 3^o. quia ad fiduciam, quam ibi Christus excitabat, in electis erigendam, sufficiebat testificatio affectus conferendæ æternæ salutis; ut nempe Christus a majore ad minus concluderet, quod Deus non sit negaturus necessaria ad victum et vestitum, qui paratus sit etiam dare regnum cælorum.

Inst. 2. In prædestinatione ad gloriam nulla ratio habetur voluntatis aut operum humanorum; ergo est mere gratuita. *Ant. prob. primo*, quia electio humana excluditur, ut patet ex Joan. 15. 16. *Non vos me elegistis; sed ego elegi vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* Secundo, quia salus, et hinc etiam juxta D. Thomam prædestinatio, non fit ex operibus, ut habetur ad Titum 3. 5. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit;* et 2. ad Tim. 1. 9. *Vocavit nos Deus vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum.* Tertio, quia prædestinatio dicitur sors, juxta illud ad Ephes. 1. *Sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus;* et ad Coloss. 1. *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum;* quod autem sorte obtingit, meritis non acquiritur. Quarto, quia alias discretio pertineret ad homines, et sic gloriari possent, contra doctrinam Pauli 1. ad Cor. 4. *Quis te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

R. Ad prob. 1^{am}. D. Electio humana excluditur a ratione principii et subjecti prædestinantis C. a ratione causæ moralis prædestinationis Subd. prædestinationis ad gloriam N. ad gratiam primam, aut eam quæ gratis data dicitur C. Textus non agit de electione ad gratiam; tum quia Judas,